



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vnica Religione, Stvdio Catholicorvm Principvm, In
Repyblica Conservanda, Liber vnus**

Lens, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1579

VD16 L 1181

Diuersitate religionum non solum Rempublicam inter ciues, sed &
familiam inter domesticos perturbari. Cap. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30005

gnum conglutinandos; & quantum è diuerso
 valeret ad disiungēdos religionis diuersitas.
 Veritus enim ille in ipsis regni sui primor-
 dijs, ne qua fieret aliquando propter religio-
 nis vnus vinculum conciliatio tribuum di-
 uisarum, eiusmodi legitur animo consilium
 concepisse: dixit (ait scriptura) Ieroboam in
 corde suo, Nunc reuertetur regnū ad domum
 Dauid, si ascenderit populus iste vt faciat sa-
 crificia, in domo Domini in Ierusalem, & cō-
 uertetur cor populi huius ad dominū suum
 Roboam regem Iuda, interficientq; me, & re-
 uertentur ad eum. Et excogitato consilio fe-
 cit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite
 ultra ascendere in Ierusalem. Ecce dij tui Isra-
 hel, qui te eduxerunt de terra Aegypti, po-
 suitq; vnum in Bethel, & alterum in Dan: &
 factum est verbum hoc in peccatum.

*Lib. 3 re-
 gum c. 12.*

*Diuersitate religionum non solum Rempubicam
 inter ciues, sed & familiam inter domesticos pertur-
 bars.*

CAPVT V.

DE Reipublicæ tranquillitate & pace in-
 ter ciues diximus: quid de familia qua-
 que sperandum est religionum varie-
 tate permiffa? Nihil verò hic aliud expectare
 debemus, quàm corrixationes, contentiones,
 ac iurgia, ex mira discrepantia mōrum facto-
 rumq;. Nempe vxor Catholica diebus Ve-
 neris carnibus abstinere velit, pisces parabit
 sibi; maritus aut idē cogetur edere, cum erit
 aliud nihil parati, aut certè offensus aliò dis-
 cedere compelletur. Rursum cupiat vxor, iu-
 xta præ-

C

xta præ-

*Apud Zo-
naram.*

*Procopius
belli Got-
trici lib. 1.
Aemilius
in Childe-
berto.*

xta præceptum Apostoli, noctis vnus à tho-
ro ferias, vt vacare orationi possit instante
solenni festo: ille verò hoc, vt muliebrem su-
perstitionem, festorum dierum contemptu
derideat. Illa ieiunādum sibi putet ex præce-
pto Ecclesiæ matris: hic contra ad ingluuiem
cogat stimulis cupiditatis incitatus. Illa san-
ctorum imaginibus, propter eorum quos re-
præsentent amorem ac venerationem, dele-
ctetur: hic detestetur vt cultum idolorū. Id-
circo enim Theophilus Constantinopoli-
nus imperator Iconoclasta, cū ex fatuo quo-
dam vxorem suam Theodoram imagines ha-
bere suspicatus esset, in eam est vehementer
inuestus: sed iracundiæ flammam prudens
mulier tēperauit: pupas enim pulchras, quas
se vidisse apud dominam fatuus dixerat, in
speculo fuisse persuasit collucentes intuen-
tium effigies. Clothildis filia Clodouei, fra-
tribus id agentibus, nupserat Almarico VVi-
sigottorum regi: sed cum hic esset Arrianus,
illa in Catholica religione educata, nullus
esse potuit mutuus amor, pax nulla. Dete-
stante quippe marito aduersam suæ impieta-
ti religionem vxoris, & in eam ipse sæuebat,
& subditis quoque suis faciebat eam affligen-
di potestatem: non ob aliud, quàm quia vi-
ri sui nollet religionem amplecti. Hæc igitur
sic oppressa iniquissimi viri iugo, ad amicos
Galliæ reges confugit, plena querimoniarum.
Quibus illi commoti, mox expeditis ad bel-
lum armis, Almarici regnum vnà cum perdi-
tissima religione subuerterunt, Eudoxia ne-
ptis

ptis Theodosij, sedecim annos in Aphrica cū
 Honorico viro suo iam peregerat. Hęc enim
 ille, Romam ab ea vocatus in auxilium, se-
 cum spoliata Roma duxerat in Aphricam:
 sed quoniam Arianus ille, hęc Catholica e-
 rat, fecit religioni aduerfitas, vt huic esset
 cum illo amara cohabitatio. Itaque exitu se- *Nicepho*
 mel reperto, fuga elapsa est, seq; Hierosoly-
 mam contulit, nec multò post diem clausit
 extremum. Et quis exempla omnia, quę huc
 faciunt, breui possit oratione complecti? Sa-
 tis sit hoc loco perspicere, certam hęc esse dif-
 cordię in familia causam, si coniunx coniugi
 studio religionis aduersetur. Quoniam enim
 animo virum censemus laturum esse, si mul-
 tis in rebus nõ obtemperans mulier, religio-
 nis se suę prætextu munit, asseratque etiam
 fieri sic oportere? Quid? quod noua huius æ-
 tatis religio ita est ad diuortium facilis, vt
 etiam potestatem faciat discedeti aliud inire
 coniugium? Qua ex re quantum nascatur dis-
 solutionum turbarumq; in familijs aliquot,
 diuersis locis exempla declararunt. Recordamini
 (inquit Optatus lib. 3.) quomodo à vo-
 bis iam dudum matris Ecclesię membra ab
 inuicem distracta sunt: non enim vnquam
 que domũ statim seducere potuistis; sed aut
 iuit vxor & resedit maritus; aut parētes sedu-
 cti sunt, & filij sequi noluerunt; aut stetit fra-
 ter, sorore migrante: persuasionibus vestris
 diuisa sunt corpora & nomina pietatis. Et nõ
 potuistis prætermittere quod legitimum est.
 Vtiq; dixistis: Pax vobiscum; cū Deus contra:

Pax? & vbi pax? Quod est dicere: Quid salutitas, de quo non habes? Quid nominas, quod exterminasti? Pacem igitur exterminat subintroducenda noua religio: quam si in familijs esse non finit, nec igitur in Rep. esse patietur.

Ad perturbandam euertendamq; Rempublicam nihil valere magis, quam noua & commentitia religionis introductionem.

CAPVT VI.

VEhementer autem hoc ad ciendas discordias, ideoque ad respublicas perturbandas euertendasq; facit, si vna multis iam seculis religione suscepta, seruata, comprobata, noua quæpiam subintroducatur, & ea quidem prioris æmula, eidemq; ex professo aduersatrix. Nā quæ res familiã vnã, eadem, cū in maioribus paulo rebus acciderit, rempublicam etiam ipsam euertere solet: Nihil verò ad familiam perturbandã euertendamque vehementius, quàm si præter legitimam coniugem concubina aduocetur, eaq; pari in honore & libertate autoritateq; habeatur. Neq; enim conuiuere potest maritalis ille zelus, & studio huic vel illi placendi familia distrahitur, colliditurq; disidijs. Quapropter inter antiquas Numæ Pompilij leges, reperitur inhibitus concubinis templi Iunonis ingressus: ad significandas offensiones matronarum (quarū esse illa peculiariter dea putabatur) si quando fuissent à maritis parem in honoris locum concubinæ receptæ. Quis iam nesciat religionem Catholicam Romanam, per tot annorū centurias tam multis ab gen-
tibus